



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Nobili Viro Simoni Comiti Leicestriæ, Domino Montisfortis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

scripta mandamus quatenus si eam vacare ac de ipsius provincia esse constiterit, curam ejusdem dilecto filio Variensi electo auctoritate apostolica committatis, ut eam teneat commendatam donec de illa nos vel successores nostri aliter duxerimus disponendum; ita quod distrahendi vel alienandi quoquo modo possessiones ipsius nullam habeat penitus potestatem. contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Quod si non omnes &c. tu ea, frater Episcopo, cum eorum altero &c. Datum ut in alia per totum.

SALIMBRIENSI EPISCOPO.

Cum Clerici præ nimia paupertate non valeant, sicut dicitur, apud Constantinopolim remanere, nobis fuit humiliter supplicatum quatenus decimas & quintas decimas inter venerabilem fratrem nostrum Constantinopolitanum Patriarcham & ipsos Clericos dividi congruè faceremus, ut de ipsis valeant sustentari. Quocirca præsentium tibi auctoritate mandamus quatenus duobus tecum assumptis, quorum unus ab eodem Patriarcha & alter ab ipsis Clericis eligatur, componas unâ cum illis super his, si fieri poterit, infra mensem amicablem inter eos; alioquin ex tunc tu & illi usque ad adventum Legati, quem ad partes illas in brevi proponimus destinare, super eis auctoritate nostra sublato appellationis obstaculo, de plano, sine strepitu litis, providè arbitramini quod utrique parti videritis expedire; ita quod si non omnes potueritis concordare, quod duo vestrum statuerint robur obtineat firmitatis. contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Quod si alterutra partium noluerit eligere arbitrium, tu nihilominus cum eo qui fuerit electus à reliqua præscripto modo procedas. Datum Laterani v. Idus Decembris, pontificatus nostri anno tertio decimo.

PALENTINO ET BURGENSI Episcopis, & Abbati de Morimundo Cisterciensis ordinis.

Nova quædam nuper, de quibus miramur non modicum, nostris sunt auribus intimata, quod Abbatissæ videlicet in Burgenfi & Palentini diocesis constitutæ moniales proprias benedicunt, ipsarumque confessiones criminalium audiunt, & legentes evangelium præsumunt publicè prædicare. Cum igitur id absolum sit pariter & absurdum, nec à nobis aliqua-

tenus suslinendum, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus quatenus ne id de cetero fiat, auctoritate curetis apostolica firmiter inhibere: quia licet beatissima virgo Maria dignior & excellentior fuerit Apostolis universis, non tamen illi, sed istis, Dominus claves regni cælorum commisit. Datum Laterani 11. Idus Decembris, anno tertio decimo.

NOBILI VIRO COMITI Tolosano.

Non decet tanti nominis virum super justis promissionibus suis desistere vel tepere quin eas sic studiosus adimpleat prout factas sibi desiderat promissiones impleri. Cum igitur de terris tuis hæreticos promiseris amovere, miramur non modicum & dolemus quod ipsi adhuc in terris eisdem, sicut accepimus, tua faciente negligentia, ne te permittente dixerimus, commorantur. Quia verò præter animæ tuæ periculum, quod ex hoc posses incurere, grave famæ tuæ dispendium pateris, nobilitatem tuam rogamus, monemus attentius, & hortamur, per apostolica tibi scripta mandantes quatenus exterminare à terris eisdem hæreticos, prout te coram nobis promississe recolimus, non postponas. Alioquin exterminatoribus eorundem terras ipsorum noveris esse concessas divino iudicio possidendas. Datum Laterani x. v. Kalend. Ianuarij, anno tertio decimo.

NOBILI VIRO SIMONI Comiti Leicestriae, Domino Montisfortis.

Vt tuæ nobilitatis devotio, quam expertam habemus in multis, nobis sit semper obnoxior, ea tibi duximus committenda per quæ nobis & apostolicæ sedi possis & debeas amplius complacere. Ideoque nobilitati tuæ, de qua plenè confidimus, per apostolica scripta mandamus quatenus cum fidiorem te non possimus in ipsis partibus invenire, istud onus pro nobis assumas ut censum trium denariorum quos de unaquaque domo de terra contra hæreticos acquisita sedes apostolica debet recipere annuatim fideliter colligas & reserves, ipsum nobis per fidelem nuntium transmissurus, vel assignaturus eis quibus per nostras litteras tibi duxerimus injungendum. Datum Laterani x. v. Kal. Ianuarij, anno tertio decimo.

Epist. 188. Ut hæreticos de terris suis ejiciat.

Epist. 189. Ut censum exigat apostolicæ sedi debitum.

Vide lib. 12. epist. 108. 109. 121.

